DE
MANUSCRIPTIS NEAPOLITANIS
PINDARI

vom Herrn Prorector Freese


SPRAWOZDANIA SZKOLNE
Książnica
Kopernikańska
w Toruniu
SCHULPROGRAMME

Womit
und dem Jahresberichte
des
Königlichen und Gröningschen Stadtgymnasiums
zu
Stargard
zu der öffentlichen Prüfung
welche am 30sten September Vormittags von 8½ und Nachmittags von 2 Uhr ab
in
dem grossen Hörsaale des Gymnasiums
veranstaltet werden wird
die
hiesigen Behörden, Gönner und Freunde
des
öffentlichen Unterrichts
gehorsamst und ergebenst
einladet

G. S. Falbe,
Königlicher Schulrath, Professor und Director des Gymnasiums.

Stargard, 1835.
Gedruckt bei Carl Ferdinand Hendess.

Artem criticam, errorem et fraudem humanae naturae consentanea impugnantem, philologi in usum suum adsciscunt exercentque et ad justae doctrinae rationem redigunt, tum ut libros, qui falso inscripti reperiuntur, a ficto auctore vel aevo abjudicent veroque addicant, tum ut singulorum locorum corruptiones amoveant integritatemque restituant. Qui tota opuscula ad altioris, quam vocare solent, criticae praecepta examinat, aeque fraudi atque errori ingenii acumen opponere cogitur; qui vero ad alteram hujus disciplinae partem incumbit, semper fere errores tegit, rarissime fraudis vestigium cognoscit et delet. Neque enim, quae verbi causa adulteratores istos monetarum veterum protulit, lucri faciendi cupido librarios ad textum mutandum incitare potuit; sed variarum lectionum copia facile major oscitatione et inscitia fortuito sensim in codices manuscriptos immigravit; pauciores virorum, qui corrigere conantes depravabant, studio debentur; atque etiamnunc aliquot homines docti conjectandi quodam pruritu affecti consulto quidem, sed frustra nec fallaciter illarum vim adaugere amant. Post renatas demum litteras inventamque artem typographicam sive, ut accuratius tempus significemus, saeculo sexto decimo, cum viri utriusque linguae periti laudibus et honoribus, quantos nunquam posthac recupe-

rarunt, per cultiores Europae terras florerent, non semel factum est, ut critici nimia nova in medium proferendi eoque gloriam captandi aviditate abrepti, codicibus, qui nusquam exstabant aut quos nunquam inspexerant, se usos esse simularent indeque commenticiis lectionibus allatis textum nonnullorum scriptorum veterum hic illic fœdarent. *) At modo secundus casus, modo diligentia aequalium posterorumque, quibus codices illos indagandi et perlustrandi facultas contigerat, insidias disciplinae philologicae paratas detexit; quanquam et probos viros doli istius falso insimulatos esse constat, et fortasse etiam nostra aetate ficta pro veris venditari refelli nequit. Sed ementitum codicum usum experientia docuit; critica autem doctrina praecepta, ex quibus fictae lectiones agnoscuntur impostorique redduntur, quaerere et proponere neglexit. Neque id mirandum. Nam philologi ad singulas criticae leges singulos locos revocare, quam universam ejus rationem, quae tota in philosophia nititur, explicare addentesque exempla ex Graeciae et Latii monumentis depromta in suarum disciplinarum numero collocare maluerunt. Deinde quaestio illa spinosissima, vix ut, ubi pauciores lectiones discrepantes allegantur, ullus ei exitus imponi possit; neque metuendum, ne quis istis in dolis, prius raro nexis vetustateque nunc fere oblitteratis, postero tempore de-

*) Oppidum, in quo vivo, a libris vacuum impedivit, quominus non ambitiosae multarum lectiuncularum ostentationi, sed doctrinae commodo et loci opportunitati serviens omnes codd. fictos falsoque suspectos breviter enumerarem. At cum vel Boeckhii opus Pindaricum tractatumque Academicum (über die kritische Behandlung der Pindarischen Gedichte in Comment. Acad. Berol. ann. 1822. 23.) peregre accitum cursim tantum perlustraverim breviterque excerpserim, aliarum scriptionum saepenumero desideratarum inopia dolere vix possum.

prehendatur. Denique si nihil aliud petitur, nisi ut menda ab integra lectione dignoscantur, depravationis indicia et remedia saepe exposita sufficiunt; sin autem in corruptionis auctorem inquiritur, certae rationes, quae in absconditis ejus latibulis odorandis persequendae nobis sunt, adhuc desiderantur. Argumentorum autem, quibus editorem conjecturas pro codicum lectionibus dedisse convincitur, ratio haec fere esse debet. Alia ex ipso homine, alia ex lectionibus ducantur. Itaque de illo quaeratur, gravesne mores, an leves esse videantur; ac quid de litteris sentiat, intimone animo colat, an aliena commoda harum saluti anteponere possit. In lectionibus autem interpolationis indicia expendantur; quo facto ubi et quomodo suspectae discrepent, observetur; locique mutati et cum studiis, quibus editor potissimum allicitur quibusque plurimum valet, et cum ratione, qua idem alibi in emendando utitur, contendantur; dein quam ubique auctoritatem codicibus suis ipse tribuat, consideretur. Sed haec omnia, nativa critici dexteritate ponderata, tamen raro ad probabilitatem, rarius ad omnium consensionem adducent; dubitatio tantum tolletur, cum frustra quaesitum fuerit. Quae demum res lectionibus fictis auctoritatem et fidem, quae conjecturis datur, restituet. — Hoc igitur modo, ut e criticae praeceptis ad eorum usum, ex universa doctrina ad rem, quam tractandam inde elegimus, descendamus, demonstraturi sumus, virum, qui novissime anno hujus saeculi vigesimo Pindari carmina recensuerit, homines doctos commenticiis codicibus delusisse; qualis quidem fraus cum priore aetate raro excogitata sit, tum vero nostris temporibus ullam vix fidem habere videtur.

Prospera fortuna atque, ni fallor, metricae origine factum est, ut summi nostrae memoriae philologi ad Graecorum lyricorum prin-

cipem enarrandum et recensendum mire conspirarent. Heynius cum studium ejus interpretando sublevasset et divulgasset, Hermannum, ut difficillimas quaestiones ad criticam, dialectum, metra spectantes pro insigni ingenii acie explicaret, adduxit; vernaculam quoque linguam Pindaricae sententiarum gravitati numerorumque granditati aptari posse Thierschius docuit; Boeckhius vero multis annis laboriose exactis, Dissenio adjuvante, philologiam opere exornavit, quod omnes ceterorum scriptorum editiones superat. Jam Ahlwardtus, praecipue aliquot codicum Neapolitanorum ope usus, denuo poetam recensuit textumque a Boeckhio adversario saepe discrepantem constituit. Atque hi ipsi codices sunt, quos indice librorum manuscriptorum eximere eoque studii a criticis Pindaro dati historiam singulari fallaciae specimine supplere velim.

Primam quidem suspicionis ansam nobis praebuit altissimum silentium, quod de codicum, qui permagni momenti et auctoritatis ipsi sunt, descriptione Ahlwardtus pertinaciter tenet. Etenim etsi imprimis ab Heynii inde tempore ejusque exemplo permoti omnes fere veterum scriptorum editores accuratiorem apparatus sui critici recensum praemiserunt, ut nostra aetate hujus rei neglectio neque excusanda, nec perferenda esse videatur: tamen editor ille Pindari ab hac consuetudine recessit atque ad obsoletam incuriam se recepit. Itaque negligenter et obiter praef. p. VIII. paucissimis verbis monet, communicatam secum a docto quodam amico lectionum Italicarum συλλογὴν, factam ex Codd. Mss. hactenus nondum collatis, quos in sua editione MSS. Neap. charactere designaverit, insignem in illustrando non uno corrupto loco navasse operam. Horum autem de conditione, qua conservati sunt, ac de aetate, qua conscriptos eos ex praeceptis pa-

laeographicis conjectari potuit quaeque maximi in Pindaro quoque momenti est, prorsus nihil commemoravit, quamvis similibus, quas creberrime legerat, descriptionibus admoneri debuerit; nisi forte amicus ille, qui tanta diligentia exemplaria ista excussit tantaque perspicacitate varias lectiones excerpsit, nullam plane his in rebus curam posuit. Etiam loco, ubi custodiuntur iterumque inspici ac conferri possint, Cimmeriae tenebrae obductae sunt. Boeckhius quidem, eorum nomine sive charactere inductus, Neapoli eos asservari sumsit ideoque et bibliothecae illius catalogum perlustravit, et ex Bekkero πολυτρόπῳ id quaesivit, sed nihil vidit, nihil audivit, unde codicum certior fieret *). Attamen ab hoc dissentiendum atque Ahlwardti verba ita potius explicanda esse puto, ut codices non Neapoli, sed in loco aliquo Italico, fortasse Neapolitanae ditionis, servari ipse statuerit. Nam tum Italicas vocat eorum lectiones, tum se in sua editione Mss. Neap. charactere eos designavisse addit, quod alioquin supervacaneum foret. — Eadem editoris taciturnitate vel de numero codicum haesitamus. Etsi duplex lectio septies Pyth. II, 36. 82. IX. 101. Nem. III. 10 (praef. p. XIV). XI, 18. 40. Isthm. VI, 30. memoratur, inde tamen non continuo effici ac cogi potest, duos collatos esse, quandoquidem, ut una in lectione frequentissime eos satis mire congruere infra apparebit, ita idem mirus consensus efficere potest, ut, quotquot sunt, interdum duas modo in partes discedant. Accedit, quod ad Nem. I, 12, Msstos Neap. lectionem proponere alibi quoque repertam (νῦν γ᾽ ἔγειρ᾽), deinde autem eosdem ab omni alia recedere novamque (νῦν γε πόρ᾽) prae se ferre affirmatur; unde quatuor certe exstare consequitur. At hoc loco Ahlw. aut negligentia in errorem incidit, aut, si quid video, aperuit,

---

*) Edit. Pind. T. II. P. II. Append. p. 692 sq.

se inter scribendum lectiones molitum esse et prioris jam oblitum posteriorem allegasse. Ceteris enim locis, ubi duas reperit, has conjunctione *et* copulans citat, hic vero, si verba urgemus, libros non dividit, ut alteram lectionem hi, alteram illi praebeant; sed utraque invenitur in omnibus. Quod autem ex una nota fortasse audacius conjeci, idem tota argumentatione probare volui. Ahlwardtus quoniam ipse lectionum discrepantiam formaverat, nec locum illos servantem, ne pervestigaretur, nominavit, nec numerum, ne in majorem difficultatem ac laborem injiceretur, praedicavit, in australi Italiae regione Neapolique libros istos inventos et collatos esse, callidissime simulans. Illic enim qui peregrinatur, ei terrarum amoenitas librorum situ obsitorum curam adimit; inde nulli paene bibliothecarum catalogi huc apportantur; ibi rarissime exemplaria vetera conferuntur. Docti porro illius amici nomen non professus est; doctissimum vero illum fuisse, accuratissima codicum collatio, tantulas tamque minutas VV. LL., quae philologi tantummodo inter codd. et edd. criticas diu multumque versati oculos fallere nequeant, non praetermittens, satis superque docet. Documento sint Ol. I, 27. VIII, 35. Pyth. II, 36. Nem. V, 52. XI, 10. Isthm. II, 9. VI, 30. VII, 38 (Ἄρει pro Ἄρεϊ), praef. p. XIV, ubi multas alias ejusdem moduli in notis citare neglectum esse additur. Sed quamvis diligenter Mss. Neap. collati sint, tamen Ahlw. id egit, ut eam, qua ab omnibus ceteris codd. et edd. discrepant, varietatem neque vero totam afferret. Illic igitur solum, quomodo legerint, scimus, ubi expresse significatum est; quod ubi non fit, aut cum textu, aut cum vulgata lectione Ahlwardti codices congruere, minime ponendum. Quapropter Boeckhius, de familia cognationeque, quam cum ceteris habeant, et de viro, cui hae correctiones debeantur, certius quiddam tum demum, si accuratius collati

essent, vel potius ex nostra sententia si accuratam illam collationem editor nobis plenam proposuisset, statui posse existimavit *). — At, dixerit quispiam, nihil demonstretur ex rebus indictis; brevis lectionis varietas editionem minorem decet; criticum apparatum ceteraque major copiosiorque, quam illo ipso anno labente secuturam esse promittitur (praef. p. V.) ac quo lector interdum delegatur (praef. p. IX. ad Pyth. I, 6. VI, 24. VIII, 25. 31. Nem. IV, 43), pleniora illa quidem dedisset. Nihil amplius respondeo quodque ex ipso Ahlwardto audivi, illum non de Pindaro, sed de choricis Graecorum carminibus edendis cogitare, taceo ac contineo, ad ea, quae allata sunt, transiens.

De auctoritate et pretio lectionum ex Msstis Neap. prolatarum Boeckhius jam qua in appendice editionis suae, qua in commentatione illa Academica subtilius meliusque, quam quisquam facere potest, judicavit; atque ego quidem etiamsi aliud de hoc illove loco in medium proferre possim, tamen quoniam omnino in Viri Cl. sententiam ire cogor interpolationumque speciem istis apertissime impositam esse consentio, hanc quaestionis partem sepono. Obtinet autem pluribusque planissime exponit, lectiones istas esse novicias, ineptas, futiles, cumque paucissima praebeant, quae non ex critici correctione repetenda sint, atque hinc etiam cetera suspecta reddantur, intelligi, nullam facile inde lectionem recipiendam esse, nisi adeo sit probabilis, ut vel sine libro reponenda fuerit **); acerbius alio loco ***) pronuntiat, quaecunque exhibeant, inutilia scripturae menda esse; ex isto-

---

*) Über die krit. Behandl. der Pindar. Gedichte p. 385.

**) Edit. Pind. l. c.

***) Über die krit. Behandlung des Pind. p. 372.

rum porro ratione et indole argumentatur, novam eos codicum Pindaricorum familiam constituere. Atque hoc solum hic a nobis in disceptationem vocetur.

Locis octoginta sex Mss. Neap. allegantur ibique novas et singulares lectiones exhibent. Quater modo cum aliquot codicibus vel editionibus consentiunt Ol. I, 3. Pyth. IV, 115 (v. ad Ol. I, 3). Nem. I, 12. Ol. VII, 9. (nisi h. l. transversa lineola a typotheta errante omissa est receptaque in textum lectio non editori, sed Msstis Neap. debetur, quorum cum aliis convenientia dilucidius exprimi solet). Lectionem autem Ol. II, 60. istis et multis codicibus datam in nullo alio legi editoremque errasse, Boeckhius jam monuit *). Heynii conjectura istic reperitur Isthm. VI, 45; quodque Boeckhius conjectavit, bis confirmatur Nem. III, 49. XI, 10. — Tantam discrepantiam admirationem injicere debere, nemo non concedet. Nullus quidem invenitur codex, quin singulis locis ab alio discedat; exstant potius haud pauci, qui ab omnibus se removent tantumque a ceteris distant, ut ad duplicem scriptoris ipsius recensionem statuendam interpretes fugerint. Sed tum librorum copia utrinque stans non tam dispar esse solet, ut altera pars nimia multitudinis vi praepolleat, atque lectionis varietas non in singulis verbis eorumque collocatione spectatur, sed ex tota textus quasi facie cognoscitur. Mss. autem Neap. cum septem et triginta codicibus, quorum lectiones Boeckhius recenset quorumque partim accuratissime collati sunt, discrepant; cujus rei simile exemplum in alio scriptore repertum quin proferri possit, dubitaverim.

---

*) l. c. p. 369.

Mirandum igitur, quantum a ceteris dissentiant, magis etiam mirandum, quantum inter se consentiant. Neque usquam Ahlw. partem nominat, sed ubique cunctos affert, ut nec numeris, nec litteris, nec alio modo singulos discernere operae pretium fuerit. Unusquisque, qui in codices comparandos laborem insumsit vel criticas editiones saepe manibus trivit, firmare potest, tantum consensum nunquam sibi obvenisse. Leguntur in Pindaro loci, ubi codices ad unum omnes eandem lectionem praebent, ubi conjecturis editores sanare tentant, verum nostri obstinata repugnantia alteram exhibent. Etiam in corruptionibus tam apertis, quas editor Gryphiswaldensis agnoscere suaque sagacitate removere debeat, vel consentiunt, vel parum inter se dissident, quod calami lapsus excusat. praef. XIV. Ol. XVIII, 35. Pyth. II, 82. XI, 51. Nem. VII, 81. — Pyth. II, 36. Nem. XI, 18. Isthm. VI, 30. Quodsi, qua de re jam egimus, non duo, sed plures libri Neap. essent, tam admirabilis scilicet concentus foret, quam septuaginta interpretum in bibliis sacris vertendis conspiratio divinitus conflata. Cur vero haec familia in Italiae angulum congesta est? cur nullidum editori cognita fuit? cur ne vestigium quidem mutationum istarum in ceteris videmus? Caeco casu fieri potuit, sed probabile nunquam erit, multoque apertius ac melius enodata omnia exponentur, si codicum patriam Gryphiswaldiam esse, parentem editorem persuasero.

At uti liberi parentum similitudinem corpore et animo praeferre solent, sic Mss. Neap. studiorum, quae Ahlw. in deliciis habebat, rationem et integris et corruptis lectionibus satis distincte explicant. Dederat autem sese, quo tempore ad Pindarum recognoscendum aggrediebatur, studio praecipue metricae ac prosodiae arctissime cum

ea conjunctae, quippe quarum doctrinarum ignarus nemo temere poetam Graecum tractare et edere possit. Eisdem jam antea illum vacasse, neque posthac eas seposuisse, tum aliquot dissertationes Oldenburgi, unde Gryphiswaldiam arcessitus erat, scriptae, tum haec ipsa Pindari editio, tum indices scholarum hujus universitatis testantur. Nam quod ad editionem attinet, praefatio res ad artem metricam spectantes litemque, quam de vocabulo duobus versibus non dirimendo cum Boeckhio habebat, joculariter narrat, ex notulis autem adspersis aliae de prosodia agunt, velut ad Ol. I, 57. II, 5. 81. IV, 12. VI, 12. VI, 74. VIII, 47. Pyth. I, 58. II, 93. IV, 207. 225. V, 101. VII, 42. XI, 51. XII, 12. Nem. XI, 18. Isthm. III, 25., aliae de singulorum versuum natura exponunt, verbi causa ad Ol. III, 36. X, 19. XIII, 81. Pyth. I, 6. III, 95. Nem. IV, 55. VII, 63. IX, 34, ut nonnullae duntaxat grammaticae, Boeckhii objurgationi aliisque rebus relinquantur. Inspiciamus locos, quibus ipse editor emendationibus in textum receptis mederi studuit, atque animadvertamus, quomodo permulti eorum prosodiae respectu habito mutati sint, ut Ol. I, 57. II. 5. 81. IX, 74. Pyth. I, 55. II, 93. IV, 24 ibique annot. VIII, 3. 42. XII, 12. Nem. IV, 68. V, 61. VI, 22. VII, 4. 48. 81. Alibi metricis rationibus permotus, interdum ne versus justo longiores, quos Boeckhius nonnunquam constituit, ipse horruit (cf. praef. p. VI. et ad Pyth. I, 6) exsisterent, emendando codicum omnium verba mutavit, id quod multo saepius in Nemeis et Isthmiis invenitur; cf. Pyth, X, 36 sq. XI, 9. 11. Nem. I, 24 sq. 42 sq. IV, 56. VII, 109 sq. VIII, 60. IX, 30 sq. 40 sq. Quodsi ab Ahlwardti conjecturis ad ejus libros Mss. transimus, hos quoque imprimis prosodiae et metris consulere atque hic jam probas lectiones exhibere, illic emendationi adminicula dare miramur. Sed singula quaevis perlustremus et osten-

damus. Ut justa syllabarum mensura restituatur insolitaque pronuntiatio metro postulata vitetur, Mss. Neap. Ahlwardto recipiente mutasse videntur *) Pyth. II, 49. 76. IV, 150. V, 101. Nem. IV, 15. XI, 10. Isthm. I, 5. IV, 4. 28. Mutationibus suis editoris emendationes sublevant Pyth. I, 58. XI, 51. Nem. V, 52. X, 15. XI, 18. Isthm. III, 25, vel in notis conjiciendi occasionem praebent Ol. XI, 68. Isthm. VII, 38. — Eodem autem modo legum metricarum rationem magna lectionum istarum pars habere videtur, ex quibus receptae sunt Ol. XIII, 61. 109. Pyth. V, 41. VII, 8. XII, 31. Nem. I, 67 sq. II, 22 sq. VII, 38. 73. IX, 47 sq. Leviter commutans editor correxit Ol. XIII, 76. 107 sq. Pyth. VIII, 36. IX, 136 sq. XI, 53. sq. Nem. I, 69 sq. V, 8 sq. 45 sq. VIII, 55 sq. IX, 40 sq. X, 5. Isthm. I, 22. II, 10. VI, 28. VII, 9. sq. In notis neque in textu lectiones Neap. commutavit Ol. XI, 21. 68. Isthm. VII, 38. Allegavit modo varietatem, quae, si metrum respicitur, sana est Ol. XI, 67. 86. Isthm. IV, 8. — A prosodia ac metrica ad artem grammaticam pergamus, in cujus studium itidem Ahlwardtum sedulo incubuisse, cum ex aliis ejus scriptionibus elucet, tum ex hujus editionis notis ad Ol. III, 36. VI, 20. XIII, 91. (cf. Isthm. I, 55). Pyth. IV, 233. VI, 19. VIII, 28. 29. XII, 3. Nem. I, 39. III, 24. IV, 68. VI, 29. 60; in quibus de dialecto, vocabulorum formis, loquendi usu disserit. Praeterea nihil monito lectore, ante mutam, quam liquida littera excipit, semper ν ἐφελκυστικόν, pro μὶν semper νίν, pro η Doricum α atque illud pro hoc passim reposuit. Eisdem rebus non uno loco prospiciunt Mss. Neap. easdemque ob causas vel suas lectiones commendant, vel ad emendandum Ahlwardto

*) Msstos Neapolitanos praecipue Pindaricae prosodiae ignoratione interpolatos esse, Boeckh. declaravit l. c. p. 330.

locum aperiunt, ut Ol. I, 3. VI, 65. VIII, 35. IX, 34. Pyth. II, 36. III, 88. IV, 5. 36. 115. 184. VI, 21. VIII, 72. IX, 101. X, 27. Nem. I, 12, ubi in annotationibus quoque subjectis grammaticae observationes adduntur. — Locos autem omnes hic collectos atque enumeratos cum ex omnibus, ad quos Italicorum codicum varietas annotata est, excepe- rimus, pauci erunt reliqui, quorum mutatio ad certam rationem ac disciplinam referri nequeat. Restant autem Ol. I, 27. II, 60. III, 21. VII, 9 sq. VIII, 15. IX, 99. XI, 21. 68. XIII, 10. XIV, 7. Pyth. I, 72. II, 82. VI, 3. VIII, 72. Nem. III, 10. 49. VI, 60. XI, 40. Isthm. VI, 30. 34. VII, 35. 62. horumque adeo numerus minuitur, dummodo nonnul- los locis aperte corruptis inveniri atque ipsorum vulneribus, ut textui inserantur, medelam demum ab editore adhiberi animadvertamus.

Jam si omnia varietatis Neapolitanae genera circumspicimus proba- bilique, quod inde efficiatur, argumentatione quaerimus, doctrinam prosodiacam ac metricam artemque grammaticam libri Ahlwardti cun- ctis fere locis respiciunt, eademque studia complectens ipse, alias in- genio suo fretus, alias auxiliis istis nisus, Pindarum emendare studuit. Quocirca tanta rationum, quibus ducti Ahlw. et Mss. Neap. textum correxerunt, similitudo, ut aliter, quam e communi origine explicari non possit. Ementitus igitur est, quo firmiora mutationum fundamenta poneret, editor Pindari codices suos, eamque quo magis occuleret fraudem, non ita lectiones finxit, ut ubique recipere deberet, sed modo viliores repudiavit, modo correctos demum probavit, modo locis, quibus mutatio non opus est, inaniter varietatem apposuit, modo ubi necessaria est, omisit suaque sponte emendavit. Mirum quam istis praecepta, quae editor Gryphiswaldensis excogitavit et dedit, proso- diaca et grammatica confirmantur; mirum quam nova, qua versus di-

gessit, ratio stabilitur. Quod ut singulis rebus allegatis magis perspicuum fiat, leges quasdam in notis editas perlustrare cumque novis codicibus comparare liceat. Ad Ol. II, 81. vocabulum ἅπαν ultimam syllabam corripere in versibus dactylicis et anapasticis, producere in iambicis et aliis pronuntiatur, correctis aliquot locis refragantibus. Verum editorem Pindarus ipse Pyth. II, 49 refutat; en lectio Neapolitana, quae hic in dochmio non θεὸς ἅπαν ἐπ' sed θεὸς πᾶν ἐπ' affert, ut duae syllabae breves hoc tantum versu nulloque totius carminis alio in longam coalescant. In scholarum Gryphisw. indicibus posthac uberius, brevius ad Nem. IX, 19. Ahlw. exposui', in media voce nusquam longam syllabam diphthongumve sequente vocali corripi posse. Mirare divinationem; nam ducibus Msstis Neap. Pindari locus Nem. IV, 15 consentit. Ad Pyth. I, 58 θεὸς monosyllabum esse et corripi posse negatur; Mss. Neap. probam, si metrum spectas, lectionem offerunt, ex qua editor locum, ut suae observationi conveniat, facile restituit. Bentlejo vocem encliticam versus inchoare neganti, Ahlw. ad Nem. IV, 55 sq. adstipulatur ibique emendat; sed Isthm. VII, 9 sq., ubi simili modo peccatur, Mss. Neap. bonam lectionem praebent emendationique editoris favent. Vestigia librorum suorum Ol. XI, 21. persecutus Ahlw. in conjectura spondeum pro dactylo commendat, id quod v. 86 hi ipsi faciunt. Praepositionem περὶ a Pindaro per elisionem monosyllabum fieri, dubium est secundum notam ad Pyth. IV, 265; quod ne admittatur, Nem. XI, 40. a vulgari lectione recedit Italica. Adde Pyth. X, 27, ubi forma, quae non est Pindarica secundum annotationem ad h. l., levissima lectionis Neapolitanae mutatione vitatur. Constanter denique Ahlw. ν paragogicum ante mutam litteram, sequente liquida, ponit, miroque consensu Mss. Neap. Ol. XI, 22 (ὥρμασεν κλέος) eundem scribendi morem servant. Omnia autem haec

exempla, id quod nemo negligat, ad easdem illas, quibus maxime editor gaudebat, disciplinas pertinent.

Congruentia locorum, ubi Ahlw. ejusque codd. textum mutant; ac causarum, ob quas utrinque fit, demonstrata, nunc, quanam potissimum mutandi ratione utantur, dicendum videtur. Quam in rem diu inquirere atque argumenta multis locis collatis investigare supersedemus, propterea quod una corrigendi consuetudo longe ante ceteras acceptissima praevalet, ut nullo negotio primoque adspectu cognoscatur. Est autem verborum translatio, quam, Scaligeranis trajectionibus ex memoria tantum non evulsis, Porsonus *) Ahlwardto maxime commendasse videtur, Hermannus nuperrime non item probavit. Pindari editor Gryphiswaldensis etsi Boeckhium ad Nem. I, 69 propter hanc rem graviter reprehendit et conjecturam ad Ol. XI, 67 a se audacius factam contemnit, tamen textus vitiis hanc curationem nimis frequenter adhibet. Quot autem locos ingenio obsecutus ita restituere tentet, enumerare vix quisquam possit nullumque sane inde fructum capiat. Satis est citare Ol. I, 57. II, 81. XI, 17. XIII, 21 sq. XIV, 5. Pyth. IV, 206. VIII, 42. X, 6. 23. XI, 34. Nem. I, 12. 24. 42. VI, 20. 28 sq. VII, 4. 81. 86. IX. 30 sq. X, 75. Isthm. IV, 36. VII, 32. His adjicere juvat aliquot locos, quibus Msstorum Neap. lectiones eodem modo mutatas recipit Ol. VIII, 35. Pyth. I, 58. II, 82. VIII, 36. XI, 53 sq. Nem. V, 8. VIII, 55. IX, 40 sq. X, 5. Isthm. VII, 9 sq. Conjecturas inde similiter factas in annotationibus commendat, ut ad Ol. XIII, 10. Pyth. V, 101. Isthm. VI, 34. cf. ad Ol. IX, 99. Jam vero lectiones Italicas perspicientes, has quoque aliam vocabulorum collocationem ac-

---

*) cf. praef. ad Hecub. p. XI.

ac ceteros codd. prae se gerere observamus. Ol. II, 60. Pyth. I, 58. IV, 184. IX, 136. XI, 53 sq. Nem. I, 12. 69. II, 14. V, 8. VIII, 55 sq. IX, 40 sq. X, 5. Isthm. VII, 9. 38. 62. Plurimae quidem alio ordine constituto ab editore, priusquam textui insereret, mutatae sunt; sed nos nihil nisi codices atque idcirco priorem tantum respicimus. Atque ex his exemplis satis apparet, Ahlwardtum tales verborum trajectiones frequentissimos librariorum errores ideoque levissimas criticorum emendationes habuisse. Rarissime occurrunt alia mutationum genera. Ita quidem ab eodem particulae una syllaba vel una littera constantes nunc interponuntur, nunc inter se permutantur, ut Pyth. VI, 5. XI, 44. Nem. I, 69. III, 46. V, 12. 40. VIII, 60. Eodem modo exstiterunt lectiones Neap. Pyth. III, 40. XI, 44. Isthm. II, 9. VI, 45. Pluralem ex emendatione Ahlw. pro singulari reposuit Ol. VII, 7. 41. Imitantur Mss. Neap. Pyth. X, 27. — Haec autem mutandi similitudo, quae inter Msstos Neap. atque inter eorum patronum est, nonne eandem originem patefacit? Nam ut et hunc et illos in emendando sibi constitisse liqueat, afferre libet, Ahlwardtum aliquoties (Ol. XI, 86. Pyth. IX, 206. XII, 13. Nem. IX, 40. ad Isthm. VII, 9.) genitivum secundae declinationis vulgarem cum Thessalico commutasse, libros γόνος pro voce υἱός bis (Ol. XI, 68. Pyth. VIII, 36.) delegisse; quod non tam caeco casu, quam consilio sibi non conscio sive constantiae ignorantia factum videtur.

Restat denique, ut, quemadmodum Msstis Neap. Ahlw. usus sit, quam auctoritatem fidemque dederit, quas eis ducibus mutationes fecerit, iterata harum lectionum inspectione explicemus, quoniam ita quoque fraudis suspicio commoveri atque augeri, aut levari ac dilui potest. Hos autem inter omnes Pindari codices, etsi nusquam inge-

nue profitetur aut suos cum ceteris comparat, tamen auctoritate praestare, editor re ipsa declarat. Dimidia prope lectionum Italicarum pars (nam locis novem et triginta fit) in textum sine ulla dubitatione recepta est; quod eo magis mirum, quia tot jam tamque praeclari libri collati illumque ad poetam corrigendum adhibiti erant. Duodecim tantum loci inveniuntur, ubi istarum lectionum varietas in annotationibus allegatur atque nimia ceterorum codicum multitudine, ut videtur, oppressa textum intactum patitur et ne conjecturae quidem occasionem praebet. At hic mera commemoratio saepe non sufficit; sed editor veram illam lectionem videri, eximiam esse, non spernendam asseverans adjicit. Cf. Ol. XI, 67. Pyth. III, 88. Nem. I, 12. IV, 49. Isthm. VII, 33. 62. Alibi haec omittitur quidem laus; loci tamen, quibus idem vocabulum aut similis dicendi ratio occurrit, ex Pindaro vel aliunde petiti recensentur. Ol. VIII, 15. IX, 34. Nem. II, 14. Isthm. I, 22. IV, 8. VII, 35. Utraque ratio conjuncta Pyth. III, 88. Nem. I, 12. Isthm. VII, 62. His autem comparationibus, quas olim imprimis Batavorum philologi undique congerere laborabant, lectionem propositam defendi ac commendari, quivis perspicit. Nam aliis quoque lectionibus vel ex emendatione vel ex libris in textum receptis conjecturisque recipiendo commendatis similes loci haud raro additi reperiuntur, veluti Ol. I, 27. II, 6. 60. VII, 7. 41. IX, 16. Pyth. II. 76. IV, 150. V, 101. VIII, 36. 72. X, 27. XI, 53 sq. Nem. I, 39. Isthm. I, 55. III, 25. VI, 28. 34; pariterque vulgata ab emendationibus temere obtrusis vindicatur, ut Pyth. II, 91. Nem. VII, 18. IX, 143. — Unde vero tanta codicibus istis dignatio, ne dicam, pia reverentia? Permagni nimirum aestimare eos Ahlw. debuit, quod primus istis usus est hominesque novitate rei affici atque ad odium aut amorem excitari solent. Attamen de praestantia eorum interdum ipsum dubitasse, ex

eo intelligitur, quod non ubique suos secutus est, sed vel ceterorum codicum, vel emendationis a se ipso profectae auctoritati hic illic postponit. Namque ad Ol. XI, 68, ubi Msstis Neap. obtemperare non potuit, etiam conjecturam inde factam respuit. Nem. VI, 60 sq. lectionem vulgatam tuetur, quanquam conjecturam in his latentem valde sibi arridere non infitiatur. Bis vero (Ol. VIII, 35. Nem. XI, 18.) apertius significat, se istis diffidere, quod emendationibus e ceteris codd. erutis textum mutat, conjecturas ex Neapolitanis confectas in notas rejicit. Alio loco Pyth. V, 101 recipit quidem Italicam lectionem, sed conjecturam addere non negligit. Praetermitto, binis locis (Nem. XI, 40. Isthm. VI, 30) ex duplice librorum Neap. varietate emendationem ac conjecturam elici; confiteor vero, me non perspicere, quam ob causam lectiones, quas numeraverim, partim suis ipsius verbis laudatas, partim locis similibus commendatas Ahlw. in textum non exceperit, sed ceteris codicibus alias posthabitis crediderit. Ita fide ac diffidentia in contrarias partes distrahitur. Quo pacto tanta inconstantia ingeniique mobilitas explicari possit, non dubitabimus, si quid suspicionis rationibus antea expositis injecerimus. Lectionibus suis Ahlw. textum non permutavit, ubicunque poterat, timens, ne nimii suae supellectilis amoris accusaretur (ita versus justo longiores audacter emendare noluit; v. ad. Pyth. I, 6); sed Neap. lectiones si non recipere potuit, at auctoritatis eis aliquantulum tribuere neque omnem quasi tutelam adimere voluit et, ne tanquam vana somnia dilaberentur, testimonia illa impertivit.

Mittamus autem, quae non facta sunt, atque ad corruptiones Msstorum Neap. aggrediamur. Triginta enim quinque exstant, ex quibus mutatis Ahlw. novem et viginti in textum recepit, aliquoties praeterea conjecturas in notis commendans. Atque nunquam temere tam

